



Spiritus tametsi motiones in organis excitare queat, hisce tamen motionibus exprimi non potest res non corporea: igitur si anima materia est, spiritualia &c. cogitare non potest.

Nec de  
materiali-  
bus.

3. Materialia igitur cogitare poterit materialis anima? plumbea & admodum materialis consecutio, ex qua manifestam fluere contradictionem necesse est. Sic enim arguo, anima materialis non est, quia de immaterialibus cogitat, de quibus cogitare non posset, si foret materialis, si igitur materialis dicenda est quia de materialibus cogitat; igitur vel duplex in me est anima, altera materialis, altera non materialis; vel eadem & materialis est & non est materialis; duplex in me non est, idem enim in me eodem tempore cogitat de materialibus & immaterialibus Deo v. g. & mundo corporeo, anima & corpore, ut sensu intimo persentisco; igitur si tenet consecutio, eadem anima est materialis & non est materialis. Quae ista manifestior contradictio?

4. Quanquam cogitare ponam animam materialem de objectis materialibus: ergo necesse erit cogitationes in motionibus diversis constitui: Chorda certe ut sonum diversum edat, diversum pariter tremorem postulat, motui oscillatorio eidem unus, non varius respondet sonus. Anima mea quam saepe diversas in se perceptiones agnoscit? Consisto ad rivulum  
leni